

Hanc natiuitatem immediate præcessit oppositio luminarium, quæ fuit anno fluente 1459, die 18 Martij, à meridie horis 18. min. 4. & fuit diurna, & locus Solis supra terram in 7. gra. 18 min. Arietis, Victor siue Almuten in loco Oppositionis fuit Sol. Quære igitur uerum locum Solis ad tempus natiuitatis oblatum, qui reperitur in gra. 10. min. 40 Arietis. Hic tamen notandum, quòd si contingeret Lunam esse uictricem, quærendus erit locus eius uerus, diebus æquatis. Quocumq; autem reliquorum planetarum uictrix existente, non oportebit locum eius quærere æquatis diebus. Causa huius est tarditas motuum, quæ non sinit in tempore 31. minut. (scilicet maxime æquationis dierum) accidere errorem dignum emendatione. Numerus itaq; graduum Solis uictoris, similior & uicinior est gradui Medij cœli æstimationis natiuitatis quàm Ascendentis, quamobrem secundum præceptum artis, Medium cœli est constituendum simile gradibus & minutis Solis, hoc est, in medio cœli iubemur ponere 10 gra. 40 minu. Geminorum, & secundum hunc erigere figuram, & erit per Animodar iustificata. Notandum tamen quòd uia animodar propter tantam dissimilitudinem graduum hic locum non habet, eò quòd mediũ cœli deberet esse 10 gr. 40 m. Geminorũ, quare exanimada erit per Trutinã Hermetis,

### Secunda uia indagandi uerum Ascendens per Trutinam Hermetis.



Ide diligenter locum Lunæ hora æstimationis natiuitatis, & si tunc ante natiuitatem per aliquot dies Venus uel Mercurius, fuerint in tali loco Lunæ, habueritq; tunc Luna in loco Veneris uel Mercurij potestatem, feceritq; cum aliquo eorum quadratum aspectum: Scias tunc infantem egressum uterum matris per dies 7. ante moram ueram. Nam Venus & Mercurius maturant opus Lunæ. Vide etiam ad Martem, & ad locum Lunæ hora conceptionis. Nã si fuerit Luna in Martis domo, termino uel exaltatione, & quòd tunc Luna Marti coniungitur, tunc natus fuit egressus ante complementum moræ. Quòd si aliquem istorum modorum in aliqua genitura inueneris, tunc mora in tali genitura, erit omittenda, & recurrendum erit ad Animodar. Sed pro Trutina, uide primo locum Lunæ, per quem uide eius distantiam, uel ab angulo Orientis, uel occidentis, ut res ipsa postulabit, scilicet à gradu cum quo Luna oritur uel occidit. Nam si Luna tunc supra terram fuerit, eam distantiam quære in tabula Morarum sequenti, & inuenies dies moræ, in priori quidem ordine numerorum, si Luna sub terra fuerit, aut in ultima linea tabellæ, si tempore natiuitatis supra terram extiterit. Notandum tamen, quòd tales moræ, etiam si diuersæ fuerint, nos solum ducunt ad propinquitatem diei, uel temporis remotæ conceptionis. Eam moram subduc à tempore natiuitatis, uel eandem numerata à tempore natiuitatis retro, bisextum tamen præcauendo, & ubi numerus dierum terminatur, ibi erit dies conceptionis æstimationis, in qua si tunc Luna reperiat in signo Ascendentis natiuitatis æstimationis, uel in opposito eiusdem cum numero tamen graduum maxime minori, scias te certo calculo uerum attigisse scopum, alioqui locus Lunæ ad diem ulteriorem quærendus erit. Nam in tali casu per unum uel duos dies antecedere ne timeas, quousq; locum Lunæ proxime minorem ascendente natiuitatis æstimationis inueneris, quæ erit dies conceptionis, quoniam sic uera natiuitas, æstimationis præcedet. Sunt tamen qui hoc idem etiam indifferenter de sequentibus accipiunt diebus, & sic secundum illum sequentem locum Lunæ proximior, natiuitas uerificata, sequeretur æstimationis, quod uerissimile minime censebitur. Nam obstetrices & assistentes partui, bona noua prærenti demum nunciant post abruptionem cotilidonum, & perfectam infantium mundationem, &

K ij nem, &